



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus XXI. De Exceptionibus Et Replicationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

stea Clericus a Laico conveniri coram eodem Judice in Petitorio. Hæc intelliguntur de Judice in prima Instantia: nam si per viam Appellationis Causa Possessionis defertur ad Superiorem Judicem, non poterit iste, Causa Appellationis decisa, deinceps agere Judicem de proprietate in prima Instantia: sed debet Causam in Appellatorio decisa remittere ad Judicem primæ Instantiæ, apud quem agatur in Petitorio. Aliud observatur in Curia Romana, quæ Causam Possessionis ad se delatam per viam Appellationis, retinet etiam decidendam in Petitorio.

TITULUS XXI.
DE EXCEPTIONIBUS ET
REPLICATIONIBUS.

*Conf. Lib. II, Decretal. Tit. 25. In
Sext. Tit. 12. in Clemen.
Tit. 10.*

§. 238.

Exceptio **R**EUS ab Actore in Judicio impetitus, potest se contra Adversarii intentionem defendere per Exceptionem. Sicut *Actio* dicitur *Jus persequendi id, quod*

quod sibi in iudicio debetur, ita Exceptio dicitur Jus, quod iudicium excludit. Unde Exceptionis vox apud Jurisconsultos veteres significat aliquam Exclusionem. Exceptiones dicuntur etiam Præscriptiones 5.). Ut singularum, quas nominabimus, Exceptionum naturam exacte describamus, vel datis exemplis declaremus, ratio & institutum hujus opusculi non patitur 6.).

§. 239. Cum defensio sit juris naturalis, non facile negari potest Exceptio. Regula juris est, quod is, qui habet actionem, multo magis habeat Exceptionem 7.): imo sapius datur exceptio, quam actio; unde quamvis excommunicatus agere non possit, nec reconvenire: exceptio tamen, tanquam defensionis remedium, negari

Debet
admitti:

S 5

gari

-
- 5.) Rubr. ff. de Exception. Præscript. &c. & GOTHOFREDUS ibid.
 - 6.) Vid. OLDENDORPII Enchiridion Exceptionum. ZANGERUS de Exceptionibus. ILICO UMMIUS Process. Judic. disp. 8.
 - 7.) L. 156. ff. & C. 71. de R. I. in 6. Debeat olim Exceptio apud Prætorem peti, sicut de Actione diximus: formulas ex Cicerone & Legibus refert BRISSONIUS De Formul, & solemn. Pop. Rom. verb. lib. 5, fol. 440. seqq.

gari non debet 8.) Exceptio regulariter deducitur ex proprio suo jure, non autem ex jure tertii: sic Depositarius non potest contra repetitionem Depositi excipere, quod aliquis tertius sit dominus hujus rei depositæ, Si tamen quis non Actionem Depositi, sed rei vindicationem contra me institueret, & ego rem illam esse tertii cujusdam reponerem; hæc Exceptio efficiet, ut Actor teneatur probare suum dominium; quia per meam Exceptionem excluditur fundamentum agendi, & ego erga talem Actorem habeo liberas ædes. Simili modo possum excipere ex jure tertii, si tertius jus regressus contra me haberet. Unde non teneor pretium emptarum ædium dare venditori, donec hæ ædes liberentur ab onere hypothecæ, cum alioquin Creditores hypothecarii regressum quærerent contra me. Sic etiam non possum reddere Depositum, quod Creditores Arresto supposuerunt 9.)

§. 240.

8.) C. 5. de Except. Vid. Gloss. in Cit. C. 71.

9.) STRYCKIUS Vol. 4. Disp. 25. de Jure ex alterius persona. c. 9. n. 48. seqq. & n. 64. seqq.

De Exceptionibus &c. 283

§. 240. Exceptio datur vel contra *Judicem*, ejusque Citationem, uti *Declinatoria* Fori incompetentis, *præventionis*, suspicionis, inhabilitatis, loci non tuti, loci inhonesti, termini angusti & feriarum. Vel concernit *Litigantes*, uti Exceptio Causæ connexæ non dividendæ, revocandi domum, justici impedimenti, contumaciæ, cautionis, inhabilitatis, excommunicationis: item Exceptio *Procuratoria*. Vel respicit ipsam *Actionem*; harum aliquæ sunt *Dilatoria*, quæ *Actionem* tantum ad tempus excludunt, uti Exceptio spoli, pacti conventi temporalis, moratoria, plus petitionis, excussionis seu ordinis, divisionis, cedendarum actionum, competentia &c. Aliæ sunt *Peremptoria*, quæ in totum *Actiones* excludunt, uti Exceptio doli, metus, erroris, non numeratæ pecuniæ, non numeratæ dotis, domini, SC. ti Macedoniani, SC. ti Vellejani, & Minorennitatis. Hæ tres ultimæ descendunt ex personis, in quarum utilitatem tribuuntur; priores proveniunt ex sola re; omnes autem ab initio cum negotio processerunt: aliæ *Peremptoria* oriuntur post negotium gestum, uti Exceptio pacti

Respicit
Judicem,
Litigan-
tes, vel
ipsam A-
ctionem.

pacti

pacti de non petendo, rei judicatae, jurisjurandi, transactionis, praescriptionis, rei venditae, rei litigiosa. Non ipsam quidem Actionem, sed modum agendi concernit Exceptio sub- & obreptionis, praesudicii, ineptae cumulationis, libelli alternativi, generalis, obscuri: quae Exceptiones proponuntur, ut actio in melius reformetur.

*Varia
Excepti-
onum Di-
visiones.*

§. 241. Qui indolem harum Exceptionum probe animadvertit, facile intelliget divisiones vulgo tradi solitas. Nam I. Aliquae sunt *Reales*, Causae adhaerentes, quae generaliter omnibus conventis, eorumque haeredibus & fidejussoribus praesunt, vel contra omnes Actores opponi possunt: aliae *Personales*, quae certis demum personis, vel contra certos Actores dantur. Exceptio competentiae, moratorii, minorennitatis competit quidem haeredibus minoris, non tamen fidejussori, nisi iste simul sit haeres. Omnes Exceptiones habentur pro realibus, donec ostendatur, quod ex legis dispositione, vel conventionione partium ad certas personas restringantur. II. Aliquae sunt *Declinatoriae*, intuitu fori, Judicis aut loci: aliae *Dilatoriae*, quae actio-

actionem differunt ad tempus: alia *Peremptoria*, quæ jus Actoris omnino perimunt. Inter has singularem mentionem merentur Exceptiones de re judicata, transacta seu finita 10.), quæ impediunt litis ingressum. III. Alia est Exceptio *Facti*, quando Reus se defendit contra Adversarium, cui nulla competit Actio: veluti si quis me convenit ratione contractus, quem cum ipso nunquam inivi, vel ratione cujus jam satisfeci; quæ vocatur etiam Exceptio intentionis, quia excluditur intentio Actoris: alia Exceptio *Juris*, quando Actor summo jure haberet Actionem, quæ tamen ex dispositione Legum, vel æquitate naturali enervari potest, ut Exceptio doli, metus &c. IV. Aliquæ Exceptiones dicuntur *Nominata*, quæ habent speciale nomen in Jure: alia *Innominata*, seu *in factum*, sicut Actio alia est nominata, alia in factum. V. Exceptiones *Civiles* a Jure Civili sunt introductæ: *Prætorie* ob æquitatem naturalem a Præ-tore concessæ 11.). Hæc divisio hodie non attenditur.

§. 242.

-
- 10.) C. 1. de lit. Contest. in 6.
11.) §. 7. Inst. de Except.

*Quando
debeant
proponi?*

§. 242. Exceptiones Dilatoriae & Declinatoriae proponuntur ante litem contestatam; Peremptoriae post illam; aliqua utroque tempore, uti Exceptio Feriarum, justici impedimenti &c. quia earum causa vel ante, vel post litem contestationem existere potest. Aliqua post latam sententiam ipsi executioni opponi possunt, uti Exceptio SC. ti Macedoniani, vel Vellejani, pretii non soluti, rei non traditae, compensationis, sequestri. Denique & Judex assignare potest terminum, intra quem Exceptiones proponantur. Quotiescunque simul proponuntur Exceptiones dilatoriae & peremptoriae, litem Contestatio esset tantum eventualis, pro casu scilicet, quo dilatoriae rejiciantur, quae summarie discussi debent. Semper tamen separantur ab aliis Exceptiones fori declinatoriae, spoli, litem finitae, & quae naturam Prajudicii secum ferunt. Possunt allegari Exceptiones numero plures, etiam contrariae in sensu alternativo, E. G. si quis mercatori pretium mercis petenti respondeat: vel has merces ex tua officina non accipi, vel jam solvi.

§. 243.

§. 243. Effectus Exceptionis est I. *Effectus earum.* quod Reus excipiendo fiat Actor quo ad onus probandi: unde Exceptionem propositam certo tempore probare debet, Dilatoriam ante litem contestatam, Petitoriam post illam, nisi consistat in jure notorio, uti si quis me conveniat de debito ex lusu, ipsum enim jus resistit tali actioni. II. Quod Exceptio Dilatoria rite probata, liberet ab observatione Judicii: Peremptoria vero ab instituta Actione: super probata autem Exceptione pronuntiandum est a Judice. III. Excipiens Adversarii intentionem fateri videtur, si responsio Rei involvat factum ab Exceptione separatum: uti si mutuum repetenti opponas solutionem jam factam; tali enim ratione fateri videris, te mutuum accepisse 12.). Si autem Exceptio sit pura, ac simplex, & nec tacite nec expresse confessionem involvat, locum habet Regula 13.): *exceptionem objiciens non vide-*

12.) Contrarium docent allegati ab UMMIO disp. 8. thes. II. n. 72. reus enim semper intelligitur excipere sub conditione, si Actor probaverit.

13.) C. 63. de R. J. in 6.

videtur de intentione Adversarii confiteri.
 IV. Quod Exceptio regulariter liti-
 contestationem inducat 14).

*Qua ra-
 tione tol-
 lantur
 Exceptio-
 nes ?*

§ 244. Exceptiones tolluntur I.
Præclusionē, si quis terminum perem-
 ptorium elabi patiatur; aut si Exceptio-
 nes tanquam aperte frivolas ex officio
 Judex reiicit. II. *Renuntiatione*, vel *ta-
 cita*, sicuti de *Causa* principali litigans
 censetur renuntiare Exceptionibus de-
 clinatoriis, & dilatoriis; vel *expressa*
 quæ supponit habilitatem materiæ &
 Personæ (qualis non est Renuntiatio
 SC. ti Macedoniani) & requisitas con-
 ditiones, uti Renuntiatio SC. ti Vel-
 lejani requirit certiorationem mulie-
 ris. III. *Præscriptione*. Exceptiones qui-
 dem regulariter sunt perpetuæ: cum
 enim non sit in potestate Rei, ut hoc
 vel illo tempore conveniatur; meri-
 to conceditur ipsi, ut exceptionem
 opponat, quocumque tempore con-
 venietur. Ex communi tamen Docto-
 rum sententia currit Præscriptio con-
 tra illas Exceptiones, quæ etiam per
 modum Actionis in iudicium deduci
 possunt, cum data ratio in his cesset.

Talis

14.) Limitationes ponuntur supra Tit.
 XVII. De Litis Contestatione §. 205.

Talis est Exceptio non numerata pecuniae, non numerata dotis, restitutionis in integrum &c. 15.), quæ post quadriennium opponi non potest per modum Exceptionis.

§. 245. Contraria Exceptioni est *Concedi* Replicatio. Sicut enim Reus excipi- *solent Re-*
endo excludit Actionem, sic Actor *plice*,
Replicando excludit Exceptionem. E- *Duplicæ*
legans exemplum Replicationis dant &c.

Leges his verbis: *si quis rem a non do-*
mino emerit, mox petente domino absolu-
tus sit, deinde possessionem amiserit, & a
domino petierit: adversus exceptionem,
SI NON EJUS SIT RES, *replicatione hac ju-*
vabitur, AT SI RES JUDICATA NON SIT 16.).

Rursus Reus *Duplicando* replicam; A-
ctor *Triplicando* duplicas; Reus *Qua-*
druplicando Triplicas enervat. In Ca-
mera Imperiali in Dilatoriis ultra Du-
plicam, in Peremptoriis ultra Tripli-
T cam

15.) MEVIUS p. 3. decis. 333.

16.) L. 24. ff. de Except. rei judic. Ca-
sus Legis juxta Glossam iste est. Titius
fundum a non domino bona fide emit:
Sempronius verus fundi dominus in-
stituit rei vindicationem contra Titium

De Judiciis.

cam procedi non deberet, quod tamen in praxi non exacte observatur (17.). Arbitrio Judicis relinquitur, an admittendæ sint Triplicæ & Quadruplicæ; Reus autem semper est ultimus in respondendo: unde Duplicæ vel Quadruplicæ Rei communicantur tantum ad notitiam, nisi quid novi in illis adducatur, ad quod permittenda esset Actori ulterior declaratio. Quilibet ex litigantibus libellos suos intra præfixum terminum propriis sumptibus offert, & alteri parti communicari curat. Quæ non ad instantiam, sed ex officio Judicis expediuntur, expensis Actoris insinuantur.

Exemplum ex

§. 246. CICERO, non tantum Eloquentia, sed etiam in perorandis Causis

sed causa cadit, & Titio adjudicatur dominium fundi. Dein Titius amittit fundi possessionem, quam Sempronius verus fundi dominus acquirit. Titius igitur repetit fundum a Sempronio, qui excipit, fundum esse suum, non Titii: iste replicat, hanc exceptionem non posse opponi, cum sententia olim pro se lata jam transferit in rem judicatam.

17.) Ord. Cam. p. 3. tit. 26. §. 2. & tit. 29. §. fin. item Conc. nov. Ord. Cam. p. 3. tit. 29. & 32.

sis Rei Judiciariæ peritia insignis, ele- *Cicerone.*
gantes tradit doctrinas & illustria ex-
empla Probationum, Exceptionum &
Replicarum 18.) Unicum affero ex-
emplum, ex quo patet, quomodo
per legitimum Exceptionum & Re-
plicarum usum figi debeat status quæ-
stionis, ad quam reliqua omnia refer-
ri oportet. Verba ipsius sunt: C. Fla-
minius, cum Tribunus plebis esset,
invito Senatu, & omnino contra vo-
luntatem omnium Optimatum, per
seditionem ad Populum Legem Agra-
riam ferebat. Hunc pater suus Con-
cilium plebis habentem, de templo
deduxit; arcessitur Majestatis. Inten-
tio est, Majestatem minuisti, quod
Tribunum plebis de templo deduxisti.
Depulsio est, non minui Majestatem.
Quæstio est, Majestatemne minuerit?
Ratio, in filium enim quam habebam
potestatem, ea usus sum. Rationis in-
firmatio: at enim, qui patria potesta-
te, hoc est, privata quadam, tribu-
nitiam potestatem, hoc est, populi
potestatem infirmat, is minuit Maje-
statem. Judicatio est, minuatne is

T 2

Ma-

18.) Præsertim Lib. II. de Inventione.

Majestatem, qui in tribunitiam potestatem patria potestate utatur? ad hanc judicationem argumentationes omnes afferri oportebit. &c. &c.

TITULUS XXII. DE RESTITUTIONE SPO- LIATORUM.

*Conf. Lib. II. Decretal. Tit. 13.
In Sexto Tit. 5.*

§. 247.

Spoliatus ante omnia restituendus **D**IXIMUS superiori Titulo, Defensionem esse juris naturalis, & ideo Exceptiones Rei impediri non facile debere. Nihilominus potest quis nunquam tamdiu a proponenda Exceptione impediri, donec aliquid praestiterit. Casus frequens est in eo, qui alterum re aut jure aliquo spoliavit, vel possessione dejecit: nam spoliator de hoc spolio conventus, nec ad agendum, nec ad excipiendum circa eandem rem, nec ad reconveniendum admittitur, donec spolium restituerit. Unde regula generalis est: *Spoliatus ante omnia est restituendus.*

§. 248. Spolium hoc dicitur res, qua possessor fuit spoliatus, sive sit mobi.